DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
TRACTANS
PROSOPALGIAM,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRÆSIDIS & DIRECTORIS,
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. Professorum
pro
Doctoris Medicinae & Chirurgiae Laureâ
SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME OBTINENDIS
in celeberrima
C. R. ACADEMIA
MEDICO - CHIRURGICA JOSEPHINA
publicae disquisitioni submittit

Rudolphus Eques de Wyszyński,
Galicianus Zbarażensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae
die mensis Maji 1843.

Vindobonae.
Typis Caroli Ueberreuter.

AVUNCULO SUO,

Domino Domino

STEPHANO

WSZELACZYŃSKI

EQUITE DE CYBULSKI,

POSSESSORI DOMINII KUPCZYŃCE IN GALICIA etc.

VIRO

SCIENTIA, HUMANITATE, BENIGNITATE

AEQUE AC

ANIMI CELSITATE PROBITATEQUE CANDIDISSIMA

INSIGNI

TANQUAM ANIMI GRATISSIMI

MONUMENTUM

PIA CUM DEVOTIONE

PRIMOS HOS LABORUM MEDICORUM FRUCTUS

OFFERT AC CONSECRAT

gratissimus ac devinctissimus

Auctor.

Morbi denominatio et definitio.

Prosopalgia, Pluquet, Reil, Haase), (a προσωπον facies et αλγος dolor), heterocrania (Aretaeus), convulsio, spasmus, raptus caninus, tortura oris (Arabes), dolor faciei (Fothergill), dolor faciei Fothergillii (Forstmann), affectus spasmodico-convulsivus labiorum (Sauvages), dolor faciei typico charactere (Siebold), neuralgia facialis (Chaussier), neuralgia nervi trigemini; Gall. tic douloureux (André, Pujol); Angl. rheumatic pains of the face, Ital. prosopalgia, nevralgia della facia; Germ. der Gesichtsschmerz, der Antlitzschmerz, nuncupatur dolor intensissimus, plerumque chronicus, qui secundum nervi trigemini ramos diradiatur in facie, utplurimum cum musculorum variorum faciei convulsione incedens et per intervalla revertens.

Conspectus historicus.

Rarus quamvis hicce morbus, veterum adtentione subducere se vix potuit, ut qui ab Arabis *) observa-

---

*) Rhazis opera lib. I. ad Amanzorum cap. 5. Avicennae Canon lib. III.

tus jam et descriptus invenitur, quamvis necdum rite distinctus, spasticis cum morbis fuisset confusus. — Saeculo praeterlapso major morbo huic adtentio a medicis tributa fuit. Medicus Gallus André primus differentiam morbum hunc inter et spasmum docuit, Anglusque Fothergill exactiorem morbi hujus descriptionem in lucem edidit, unde morbus hic et dolor faciei Fothergillii dicitur. Serius Germaniae praecipue et Americae septemtrionalis medici, dilucidando morbo huic multam navarunt operam.

Morbi imago.

Cognoscitur morbus ex doloris supradicti praesentia mox cum prodromis plerumque vero absque illis derepente invadentis.

Prodroma haecce symptomata vel sunt universalia, omnibus communia nevralgiis, affectumque testantur systema nervosum: inquietudo, anxietas, respiratio crebris interrupta suspiriis, dolores vagantes caput et extremitates occupantes. Vel sunt localia, ex trigemini nervi ramificatione emicantia; nunc nares et palatum, nunc maxillam infestant inferiorem, nunc supra orbitam sese extendunt, molestamque hisce in partibus causant tensionem, vel formicationis sensum, aut fluidi, quod ab extus ad capitis tenderet interiora, aut ac si tenue quoddam filum moveretur hinc illinc intra faciei musculos. Neque raro est occasio, ut pru-

ritu seducatur aeger ad scalptum, quo doloris invitatur accessus.

Hic vero dolor fugitivus ab initio acuumque aemulans puncturas, scindens dehinc, lacerans, vehemens admodum vibrat: mitescit et per vices acrior insurgit, simillimus illi, quem gladiorum proferunt ictus, aut electricae machinae causant explosiones, diradiatur ultra in facie, aegroque causat sensationem, ac si lima scinderetur facies; neque lenissimum ferat adtactum, forti autem pressione hoc tempore saltem sopietur non raro. Levissimo musculorum faciei motu dirus exasperatur dolor, tantam adducens capitis sensilitatem, ut incumbere huic nullatenus possit aeger, talemque adipiscitur vehementiae gradum, ut in suo vigore omnis generis dolores exsuperet, nam miserculi tanquam furore circumagitati, ejulant ac saevientes se gestant, a circumstantibus mortem expetentes.

Alienata facies graves afflicti testatur angores sensusque acerbos; ubi vero majori exsurgit vehementia dolor, musculorum facialium excitatur spasmus, ut risum simulent, aut rabidi imitentur canis adspectum, neque voluntatis imperio obtemperent amplius.

Protuberant ex orbita oculi, turget facies et rubet, tument venae jugulares, pulsantque fortius carotides et temporales arteriae; dum reliquum frigeat corpus, et anserina palleat cutis. Vel vero totus pallet

et truncus et vultus, aut livescit facies, neque minima conspiciuntur congestionis majoris indicia.

Franguntur vires, ut pedibus insistere non valeant miserandi, atque suffulcire eos necesse sit, ne dolorum acerbitate oppressi, corruant in terram.

Summam emensus vehementiam dolor evanescit derepente, variasque sensuum causat hallucinationes: ac si fracta dissilirent cranii ossa, humi delaberetur facies; vel susurrum excitat, ac si horologii citissime moverentur rhedae; vel quod frequentius accidit, mitescit dolor pedetentim, funduntur lacrymae, uberior adfluit in os saliva, vel copiosior excernitur ex naribus mucus, aut oedematosus exsurgit tumor, adfectam occupans partem.

Varium tenet temporis spatium singulus morbi insultus, qui quo vehementior eo brevior suescit cruciare adflictos, atque a paucis secundis ad horas extenditur usque.

Occupat quidem dolor utrumque faciei latus, sed dextrum praediligere observatum est; in utroque latere vicissim, aut insimul, ita tamen, ut unum prae alio cruciet, sedem figere potest; interdum etiam in uno prorumpit latere, postquam in altero cessaverat.

Vel semel adparens, unica invasum perterrit vice, vel saepius rediens per menses et annos miserum cruciat. — Redeunt rarius frequentiusve morbi

insultus, diurno plerumque tempore, quinquies singulis diebus, decies et ultra. Periodos nunc amant, nunc absque omni recurrunt tempore stabilito.

Inter nevralgiae species typum servantes periodicum, notatu digna est, *hemicrania solaris* passim nuncupata: ingreditur dolor cum solis ortu juxta nervi supraorbitalis decursum lateris potissimum sinistri, increscit cum diei processu, meridiem versus summum adtingit culmen, evanescit vesperante die. Eadem redit quotidie scena, nunc apyretica, nunc tenuissimis comitata motibus febrilibus.

Levior ab initio dolor, finibusque circumscriptus angustioribus, latius diffunditur pedetentim, vehementiorque insurgit reditu frequentiori, ut qui per integram lateris adfecti diradiatur faciem, totumque pessumdat systema nervosum, gangliorum deprimens efficientiam, functionumque hoc systemate gubernatarum languorem inducens.

Morbi divisio.

Secundum varium, quem dolor in facie occupat locum distinguitur:

a) *Nevralgia nervi frontalis*, rami nervi ophthalmici; ab foramine supraorbitali egressus dolor per frontem extenditur, palpebram superiorem, carunculam lacrymalem, imo anastomoses prosequens, majorem faciei

plagam haud raro occupat. Non raro dolor ciliare infestans systema in oculi concentratur penetralibus, vel ramos adgressus nasales, catarrhosa simul in lucem edit symptomata: narium siccitatem, obtusum sinuum frontalium dolorem; periodicos servare insultus amans.

b. Nevralgia nervi infraorbitalis propaginis rami maxillaris superioris, seu secundi nervi divisi, a foramine infraorbitali exortus, faciei petit superficiem dolor, labium afficit superius, alam nasi et buccas, aut palpebram inferiorem canthumque oculi internum; vel in profundioribus saeviens partibus, dentium radices, sinum maxillarem, palatum linguamve adflictat, atque quemlibet voluntarium cohibens labiorum motum, articulatas producere voces prohibet aegrum, regularem servare in circuitu periodum minus priori amans.

c. Nevralgia nervi inframaxillaris inferioris rami tertii paris quinti; a foramine mentali emergens ad mentum propagatur et labia, aut ad dentes migrat et linguam, vel ad tempora extenditur usque; spasticis frequenter comitata motibus, nulli prorsus adstringitur typo.

Quid de Prosopalgia *a facialis nervi affectione* dependente tradunt, spasticus potius videtur morbus doloribus comitatus. Postquam enim evictum est, nervum facialem ad nervos pertinere mere motorios, etiam de primitiva nervi hujus in Prosopalgia affectione sermo esse non potest. Multiplex autem nexus, qui ner-

vos motorios inter et sensitivos, ramusculorum concatenatione partim, partim sympathiae et antagonismi vinculis advertitur, in causa est, ut quaevis potentia, majori in alterum nervorum genus agens vehementia, synergiam oppositae provocet efficientiae; et spasmus fortior dolorem gignat, dolor vehemens spasmum.

Dicitur inde haec Nevralgiae species *spastica* seu *muscularis*, spasmis semper comitata clonicis aut tonicis, faciei musculorum aut colli. Dolor in processu mastoideo, in occipite saeviens, vel in maxillae inferioris angulo, ad collum quandoque et claviculam usque sese extendit.

Characteres anatomici.

Raro accidit occasio ad instituendam sectionem pathologicam hominum, quos vita florente hoc morbo vexatos fuisse notum erat, dum aegri tales, quamvis ingentibus cruciati doloribus, sat provectam saepe adipiscuntur aetatem. Mutationes pathologicae, quae inveniuntur, aut certis speciebus Prosopalgiae (P. organicae et cerebralis) conveniunt; aut sunt diuturnae morbi durationis effectus. In perpaucis casibus Prosopalgiae mere nervosae culter anatomicus aliquid deteget. Sic C. Sprengel uno in casu neurilema nervi affecti expansum et sero repletum invenisse refert. Cruveilhier animadvertebat omnes ramificationes nervi facialis nodosas et carcinomatosis involucris cir-

cumdatas. Brihgt sinus sphaenoidales degeneratos, tumoresque fungosos in cerebro observavit. Thibault et Marechal invenerunt tumorem scirrhosum ad latus dextrum protuberantiae annularis, originem nervi trigemini circumdantem. Romberg narrat casum, ubi hypertrophia ossium cranii et anevrisma arteriarum cerebri causa erat compressionis, originis nervi trigemini.

Diagnosis.

Inter symptomata essentialia Prosopalgiae numerantur: manifestatio doloris in ramificatione nervi quinti, peculiaris intermissio et qualitas doloris jam supra descripti, incitatio hujus per levissimum adtactum et mitigatio per fortiorem pressionem, ejus silentium plerumque de nocte, denique praedilectio, infestandi homines aetatis mediae ac provectioris. Confundi hic posset morbus cum odontalgia, rheumatismo musculorum faciei et hemicrania. Interim in odontalgia prodit dolor e cavo dentis, est perstans, non uti in Prosopalgia periodicus, ictibus similis electricis, provocatur a cibis, potulentis, aëre frigido, dentem carie destructum adgressis, amotoque dente evanescit. Dolor rheumaticus oritur ex refrigerio, est constans, scindens, sub faciei muscolorum motu, de nocte et sub lecti tepore adaugendus. Hemicrania jam per diversam doloris localitatem a Prosopalgia discernitur.

Aetiologia.

Adgreditur malum hocce ea utplurimum homines vitae periodo, in qua reducens jamjam exsuperat in organismo metamorphosis, quadragesimo circiter anno, atque infestum puerili nunquam esse aetati, plures contendunt observatores; amat sexui insidiare femineo, quin maribus parcat ubique, eique vitae temperiei, in qua major nervorum in lucem emergit sensilitas.

Inter feminas seligit eas, quae menstruorum detinentur vitiis; quae fluore laborant albo, aut hysterico exagitantur malo, quarum mammae vel et uterus scirrhosa notantur labe, aut quae evoluto jamjam torquentur cancro.

Prosequitur homines, qui gulae indulgentes deliciis laute epulantur, spirituosis abutuntur aut aromatibus, atque morbis afflictantur ex ventris imo adscendentibus: arthritide hujus originis, hypochondriasi; quorum congesto turgent sanguine vasa haemorrhoidalia; aut qui febribus detenti intermittentibus viscera gerunt infarcta et obstructa; quorum membra rheumatico divexantur malo, cutisve variis defoedatur impetiginibus.

Lateri dextro magis insidiosum ac sinistro malum, perraro ambo offendit simul.

Favet coelum nubilum, humidum frigidumque, atque raro infestantur eodem incolae calidiorum regionum; favet anni constitutio catarrhosis amica affectionibus ac rheumaticis: autumnus et ver.

Haec si praesto sunt momenta, omnes, quae trigeminum feriunt nervum potentiae, ejusque sensilitatem augent, congestionis statum vel et inflammationis provocant atque sustinent, excitando dolori huicce pares redduntur: irritatio nervorum per cosmetica, acribus conflata substantiis; per ulcera et destructionem cariosam, faciei laesiones, exostoses in faciei ossibus, quae distendendo offendunt nervos, eosque comprimendo; tubercula in nervorum decursu, nevromata, aliaque peregrina.

Excitant porro malum, de quo loquimur, frigus faciei admissum sudanti, sudoris habitualis suppressio, aut profluviorum sanguinis, quibus jam consuevit organismus: menstruorum, haemorrhoidum, aliorumque humorum: diarrhoeae, blennorrhoeae, aurium fluxus; ulcerum antiquorum mala curatio et praecox fugatio, cacodermatum atque exanthematum retropulsio: scabiei, herpetis, erysipelatis.

Neque parum psyches pollet facultas, ut animi pathemata: gaudium improvisum, terror, ira, moeror diuturnus, morbum provocare valent.

Morbi causa proxima.

Congredientibus causis hisce disponentibus, partim partimque excitantibus, variam metamorphosin morbosam in corpore animali contingere, statuebant pathologi. Humores corruptos et acres praeter normam in organismo generatos, proximam plures dixerunt morbi causam. Fothergill, Selle, Jos. Frank, eandem in peculiari canceratica quaesiverant dyscrasia. Ast defectus scirrhi ulcerisve carcinomatosi in parte affecta, insultus repentinus, doloris typus intermittens, nec non juvantia et nocentia Haightoni, Lentino, Sieboldo et Haase, priorem sententiam impugnandi, argutissima sistunt momenta.

Plures alii morbum in subinflammatorio quodam tunicae nervorum vaginalis statu radicatum putarunt. Adgreditur quippe homines, lautam ducentes vitam, plethoricos; feminasque periodo, qua nullas secernitur menstruus sanguis; praegressis nervorum laesionibus; admisso refrigerio vere et autumno, temporibus videlicet, qnibus rheumaticae dominantur affectiones; stipatur vagantibus capitis et extremitatum doloribus, faciei rubore et turgore, terminatur tandem tumore suborto oedematoso, vel humore accumulato seroso intra nervi dolentis vaginam, qui exitum sistit morbi, hypersthenicis membranarum serosarum affectionibus communem.

Firma revera argumenta ab omni immunia controversia, ex phaenomenis repetita multis in casibus, ne-

quaquam vero in omnibus obviis. Quid enim nec opinata doloris repentini, perfecte saepe intermittentis, eruptio? symptomatum omnium per menses et annos absentia? pallor et frigus partis affectae? Quid haec omnia indicant, an congestionis, an inflammationis sistunt phaenomena? Inde multi mere nervosam statuerunt mali hujus indolem, ab omni videlicet, quae in sensus caderet, materiae organicae mutatione alienam. Bertholon de la Lazare accumulationem efficientiae electricae in nervo dolenti causam statuit proximam, dum in asthenia nervi dolentis causam hanc invenisse, rati essent alii.

Nervorum plasticitatem morbosam, eorundem massae organicae degenerationem inculpant Josephi et Langenbeck.

Dolor eminens morbi hujus symptoma, affectum testatur systema nervosum, cui organica inest sensilitas, quae exaltata ad altiorem incitationis gradum, evehit coenaesthesin, doloremque producit. Exaltatur vero haec erethismum, symphoresin, inflammationem. Omnes igitur conditiones, omnesque potentiae, quae harum unam alteramve provocant, remotiores sistunt causas.

Quaenam autem insultuum sit ratio, difiniri necdum potuit hucusque. Nec est unicus hicce, per vices qui exsurgit morbus; sunt et alii, sunt et naturae phaenomena per vices, per insultus, in lucem

emergentia. Quis illorum omnium absque difficultate enucleaturus rationem?

Spectata conditione pathologica, quae omni subest nevralgiae, tres earundem species licebit statuere. Vel:

a) ex incitata virium vitalium oscillatione oriunda; abest omnis, quae in sensus caderet materierum organicarum abnormis mutatio; quo in casu vere intermittit dolor, perfectas relinquens inducias anodynas, per vices invadens homines, aliis plerumque tentatos nevrosibus: hypochondriacos, hysteriacas. Vel

b) ex incitata systematis sanguiferi actione, et quidem ex congestione, aut ipsa inflammatione progressus dolor remittit nec intermittit unquam, comite rubore, calore partis dolentis, ex traumate ortus vel metastatico modo ex morbis cutaneis aliisve, aut fluxibus habitualibus suppressis. Quae ex refrigerio nata, congestioni tunicam nervorum adgressae, innititur Prosopalgia, rheumatica dicitur. Vel demum

c) ex topico texturae organicae vitio scaturiens, totum subinde supponit alienatum processum plasticum. Advertuntur partis dolentis attactu nodi, tumores, indurationes, cicatrices, exostoses in individuis, digestione languida notatis, abnormi

sabuli productione aut calculis urinalibus vexatis, arthritide affectis, scirrho aut cancro laborantibus.

Quae de faciali dolore referuntur ex syphilide emergente, accidentalis potius videtur morbi complicatio; lue enim confirmata tam frequenti, frequentior quoque morbus foret hicce.

In primo saltem casu nevralgia substantiva dicenda, in reliquis symptomatica.

Terminationes.

Morbum ad finem perductum pristina insequitur salus, aut alius eundem excipit morbus, qui mali moris, supremum vitae non raro imponit diem.

Rara est sanatio absque omni artis auxilio, adgressumque iterum deserit morbus non rediturus amplius, sine conspicuis in reliquo organismo functionum turbis.

Alias pristina redit sanitas haemorrhoidum, aut aliorum, quibus adsueverat organismus, profluviorum fluxu restituto, superveniente diarrhoea, aut arthritide, adparente febri intermittente, aut insurgente tumore oedematoso in parte adfecta, vel pustularum eruptione, aut muci puriformis effluxu ex narium cavitate obtingente; quae omnia criticas sistunt evacuationes.

Ne tamen morbus, consueto longius intermittens, sanatus habeatur, ut qui aegrum medicumque laeta sanationis decipit spe, serius novo obruens aegrum insultu.

Ubi autem criticae non obtingunt evacuationes, in morbos plerumque transit secundarios. Insultu frequentiori in hemiplegiam musculorum faciei, pharyngis et linguae resolutionem tendit; procedunt deglutitionis et loquelae vitia, nec raro cancer insequi visus est. Continuata systematis cerebralis incitatione gangliosi deprimitur efficientia, vel et ipsius cerebri; procedunt hebetudo, hypochondria, hysteria, melancholia; prosternitur, quibus gangliorum praeest systema, organorum functio: languet digestio, oppilatur alvus, infarciuntur viscera abdominalia et obstruuntur, et retenta corporis restauratione, hydropes in lucem emergunt febresque depascentes.

Prognosis.

Malum dirum atque excrucians, in fatalia tendens posthuma, laetum haud admittit praesagium; rebellia omnia saepe artis respuens conamina, per annorum seriem miseros cruciat ad mortem usque.

Mitior in viris ac in feminis morbus provectiorem pertinacior infestatur aetatem.

Quo diutius egerit morbi causa, quo difficilior

amovenda haec, eo magis quoque sanationis arcenda spes. Majori cum difficultate debellatur morbus per ulcera, cariem ossium, aut exostoses atque nutritionis morbos sustentatus; facilior econtra curatu, qui ex traumate originem petit aut refrigerio.

Faciliorem admittit sanationem malum recens, atque insultus morbi levior, statuto rediens tempore. Pervicatior morbus mere nervosus.

Faustum omen: diarrhoea, morbo superveniens erysipelas, herpes farinosus in facie, furunculi in collo, aut loco affecto, miliaria in aure.

Therapia.

Integer propemodum medicamentorum apparatus contra dirissimum hunc morbum, e diversissimo semper fonte scaturientem, in usum vocatus est. Hoste terribili repulso remedium ultimum propinatum specificum praedicabatur, donec latens sub insidiis hostis, morbus intermissiones faciens, alio pharmaco palmam cedere iterum cogeretur.

Qualem omnis morbus chronicus, qui alternatim cum quiete et paroxismis divexat aegros, aliam insultus, aliam quietis exposcit curam, talis etiam therapia hujus morbi instituenda erit, sub duplici hoc respectu modificanda secundum characterem.

1. Cura sub paroxismo.

Sub insultu effrenem refrenare studemus dolorum vehementiam, compescendo exaltatam nervorum sensilitatem sedantibus. Multum respectu hoc morbum distinxisse interest mere nervosum ab inflammatorio.

In Prosopalgia nervosa *scopula metallica*, seu fascis ex filis metalleis, optime cupreis confecta, promptum offert remedium. Adponitur loco dolenti, muria salis prius madefacto. Nec auxilium denegat *Opium*, cujus connubium cum *dulci Mercurio*, remedio quippe solventi antiphlogistico, quod virtute dolores mitigante simul gaudet, remedium admodum efficax invenerunt practici.

In Prosopalgia, cui incitati systematis vasorum inest nota, praeter prius commemoratos opiatos pulveres nihil sub insultu tentandum; nec scopula, nec hirudines, nec unguenta malum mitigant, ut quorum adplicatio irritatione, potius exasperet quam domet malum.

2. Cura post paroxismum.

Quae extra doloris insultum instituitur cura, vel in causas agit amovendas, vel ubi harum non conceditur amotio, ita disponit et firmat nervos, ut resistere valeant influxibus. Hinc potentiae, quae irri-

tando offendunt nervos, omnia inquirendae diligentia et amovendae, ubi earum concessa est amotio.

Dum *phlegmonosa* dolori subest inflammatio: hirudines, fomenta frigida et glacialia in usum trahenda; dum in *rheumate acuto* cucurbitae cruentes, fomenta sicca, et inunctiones regionis dolorificae cum unguento Hydrargyri cinereo, cui Opii crebro adduntur granula, laudantur. Quando hypersthenicus hicce status totum in consensum traxerit systema sanguiferum, et generosior cura antiphlogistica in auxilium erit vocanda.

Si *suppressae quaedam excretiones* morbi sistant causam, revocandae hae sunt; abnormes etiam si sint, sed organismo per temporum spatium ita sese insinuarunt, ut relativa hujusdem salus, praesentibus nonnisi hisce valeat constare: menstruorum, haemorrhoidum, blennorrhoeae.

Ubi ex suppressa *cutis functione*, ex sudoris habitualis, vel exanthematum et impetiginum retropulsione, malum duxerat originem, et cutis morbi sistat atrium, in hanc praecipue agendum per balnea simplicia et sulphurea, per emetica, antimonialia, refracta dosi.

Ubi *ulcerum* intempestiva curatio morbum provocavit, revocanda haec. Si mali pristini non conceditur renovatio, simile saltem erit provocandum per

unguentum Autenriethi, corticem Mezerei, per fonticulos vel setacea in loco priusdem affecto.

Si *ex hysterico malo* emergit Prosopalgia, exaltatam moderant sensilitatem aromatica: Mentha, Melissa, Chamomilla, Valeriana, Angelica, Asa foetida, Ammonium, cum narcoticis: Opio, Croco, Digitali purpurea, Belladonna, aqua Laurocerasi. Etiam Martialia in connubio cum Asa foetida, Moscho, laudantur.

Simili ratione in *hypochondriasim* agendum; quae, si in abnormi viscerum abdominalium statu radices egerit; praemissis solventibus, salibus neutris, remediis amaris utendum: Taraxaco, Cichoreo, Centaurio minori etc.; in infarctibus hepatis, aut ejusdem obstructionibus solventia fortiora: Calomel, Sulphur auratum, Aquae Carlsbadenses, Egeranae; dein ea, quae excedentem compescunt sensilitatem, in usum erunt trahenda.

Quando *arthritica affectio* morbi sistit focum, Aconitum, Dulcamara, Quajacum, antimonialia et inter ea Sulphur auratum Antimonii, Aquae muriaticae et sulphuricae medicorum satisfaciunt exspectationi.

In Prosopalgia *intermittenti*, cortex Peruvianus et Sulphas Chininae eximias sibi promeruerunt laudes.

Prosopalgiae *rheumaticae* diaphoretica opponun-

tur fortiora; Sulphur et Sulphureta, Aconitum, Dulcamara, lignum Guajaci, Sassafras, Camphora, Spiritus Mindereri, liquor Cornucervi succinatus ad usum trahuntur internum, dum externe illinitiones cum Spiritu aromatico, linimento volatili camphorato, Oleo Petreoli vel Terebinthinae instituendae sunt. In casu rebelli vesicantia secundum nervi dolentis decursum adposuerunt et ipsam proposuerunt moxam.

In prosopalgia *originis carcinomatosae*, Arsenicum cum suis praeparatis in usum est trahendum.

Quaedam adhuc liceat adduxisse remedia, quae ab auctoribus nonnullis tanquam specifica in quavis Prosopalgiae laudantur specie. Ut in enumeratione remediorum horum empiria comprobatorum, quemdam observare ordinem, juvabit illa in externa et interna partiri.

Remedia interna.

Arsenicum ad decimam sextam grani partem pro die *Lalaurie* cum successu desiderato adhibuit.

Ferrum carbonicum a drachma dimidia usque ad duas de die, tanquam principale antiprosopalgicum laudatur. — Inter praeparata Hydrargyri, *Calomel*, et *unguentum cinereum* maximam sibi promeruerunt laudem. Primum a granis quatuor ad sex cum saccharo, intra nyctherum exhibetur; alterum a drachma una

ad duas juxta curae inunctoriae regulas inungitur eousque, donec hydrargyroseos in lucem veniant symptomata (F. Hildenbrand).

J. P. Frank et J. Frank sequentes pulveres cum successu desiderato adhibuerunt:

Rp. Moschi orient. optimi granum
Calomel
Sulphur aurat. Antim. āā gran. semis
Sacch. albi gr. quatuor
m. f. p. dent. tal dos. Nro. II.
Sign. Mane et vesperi pulvisculus.

Emeticis curam incipere jubet Meglinius. Hunc in finem pilulas laudat sequenti parandas ratione.

Rp. Extracti Hyoscyami
Pulv. rad. Valerianae
Sulf. Zinci āā scrupulos duos.
M. f. mass. pill. ex q. form. pill. pond. gr. unius.

Sumat aeger mane et vesperi pilulam unam, augendo sensim sensimque dosim, ad nauseam et vomitum usque.

Thilenius, Meyer, Herber, *Kali muriaticum oxygenatum* in prosopalgia commendant.

Narcotica celebratissima exhibent remedia, prosperrimo saepe saepius cum eventu tentata. Omnibus tamen *Opium* palmam eripuit in prosopalgia mere nervosa, larga tamen porrectum manu. Sed et Stramonium, Hyoscyamus, Aconitum, Belladonna, Cicuta, Acidum hydrocyanicum a singulis suadentur autoribus.

Remedia externa.

Quae ad hoc forum spectant remedia, rarissime sola exhibentur, sed plerumque curam suffulciunt. Recenseri hic merentur:

Inunctiones cum unguento hydrargyri, linimento volatili camphorato, Oleo petreoli et praecipue cum Oleo Therebinthinae.

Lotiones et *fomentationes* cum aqua frigida, melius glacie, imposito postea parti lotae panno sicco. Porro lotiones cum vino calido, solutione lixivae carbonicae, sublimati corrosivi, solutione Opii concentrata, solutione extracti Belladonnae, Liquore amonii caustici, Tinctura Cantharidum.

Vesicantia jam qua revellentia, a loco affecto remotius, jam qua excitantia suppurationem intendentia ipsi parti dolenti adplicantur. Memini insimul hic Mezerei, setacei, fonticuli, moxae, cauterii.

Laudantur adhuc magnetismus, electricitas, galvanismus, constans nervorum affectorum compressio.

Recentissimis temporibus methodus endermatica cum Morpheo acetico optimum secum duxit eventum.

Ubi pharmaceutica haec frustra tentata fuere, operationem suadent plurimi, partis dolentis *ferri can-*

dentis ope destructionem, aut *cultri* ope excissionem. Sponte liquet, chirurgicam hanc operationem, felici in eo solum casu coronari effectu, in quo nevralgia morbus mere topicus, neque cachexiae cujusdam universalis effectus est. In casu autem, ubi plures dolent rami, aut quamvis unicus non satis determinari hic, aut instrumento adtingi potest, operatio non multum adfert emolumenti.

Nervi dolentis dissectio G a l e n o jam nota dicitur, utilis ejusdem effectus ab multis in dubium vocatus, dum confirmatus ab aliis sit.

L o c u m, in quo instituenda operatio, dolorosa determinat affectio vel in ramo frontali, infraorbitali, vel in maxillari. In nevralgia spastica eo scilicet spasmo faciei doloroso, qui a nervi facialis affectione dependet, L a n g e n b e c k nervum infraorbitalem ad arcum zygomaticum, et ramos faciales nervi facialis ad angulum maxillae inferioris secandos suadet, ut quivis, qui par quintum inter et septimum existit, nexus tollatur.

Discissio ipsa talis erit instituenda, ut nervus plane dissecetur; pluribus locis nervum dissecandum suadent multi, dum portionem nervi dolentis integram excindunt alii.

Vulnus sectum alii per primam intentionem sanandum curant, dum alteri suppurationis processum

per aliquot sustentant tempus et nonnisi hujus ope sanationem certiorem intendunt.

Instituta operatione, aut illico evanescit dolor; vel pedetentim decrescit, non rediturus amplius; vel vero sedatus pro tempore dolor serius ocyusve nova exurgit vi; vel continuat et post operationem dolor eadem vehementia. An infausto hocce casu nonne medicus aegrotum curans, gerit culpam, qui fors operationem instituit in morbo non topico, in individuo non operando, affectionibus morbosis aliis detento, in quo dolor ex hisce emergens, earum tantum fuit symptoma? aut perfectam non instituit nervi dissectionem? — Vel vero nexus nervorum, qui in facie decurrunt, multiplex recrudescentis gerit causam doloris *)?

Minus infausta, quae insequuntur hanc operationem, in eo consistunt, quod musculi faciei, nasus, labia animalem perdant calorem, et sensilitate priventur; eorum status adducatur paralyticus; vel diuturna exoriantur ulcera, vel defoedans quaedam cicatrix.

Tandem et *ferrum candens* in pertinaci hoc morbo tentatum fuit. Ustione profunda, quanta ad plenariam nervi dolentis destructionem desideratur, et suppuratione insequenti diuturna, multi prosopalgia affecti pristinam recuperarunt valetudinem, quos non sanavit discissio: dum aliis nullum adtulerit levamen.

---

*) Zang Darstellungen blut. Heilk. Operationen II. Theil

Literatura.

André, Observations sur les maladies de l'urètre; à Paris, 1756.

J. Fothergill, Complet Collection of the med. and philosophical works. London, 1781.

Alex. Pujol sur les maladies de la face, avec quelques reflexions sur le raptus caninus de Cael, Aurel. Paris, 1787.

Forstmann et Leidenfrost, De dolore faciei Fothergillii. Duisb. 1790.

Hildenbrand Val. Salzburg. med. chirurg. Zeitung, 1791. Bd. III.

Lentin Blumenbach, Medic. Biblioth. Bd. II., Hufelands Journal. Bd. 9.

Siebold, Doloris faciei morbi rarioris atque atrocis observat. illustr. adumbratio. Würzburg, 1796.

Lentin, Beiträge zur ausübenden Arzneiwissenschaft. Leipzig, 1779.

v. Loenen, Dissertatio de dolore faciei convulsivo. Gröning, 1797.

Stark, Handbuch zur Kenntniss und Heilung innerer Krankheiten. Jena, 1800. 2. Theil.

Langenbeck, Tract. anat. chirurg. de nervis cerebri in dolore faciei considerandis. Gött. 1806.

Leydig, Doloris faciei, dissecto infraorbitali nervo profligati historia. Heidelberg, 1807.

Hartmann, Diss. sistens observat. quasdam de prosopalg. Tüb. 1811.

Meglin, Recherches et observations sur la nevralgie faciale. Strassb. 1816.

Frank Jos. Praxeos med. univ. praecepta. Lips. 1821.

Massius Beiträge zu einer künftigen Monographie über den nervösen Gesichtsssshmerz; (Hecker's litter. Annalen der gesammten Heilk. 1826. 2. Jahrg.)

Murrai, an Essay on Neuralgia. Newjork, 1816.

Barth, Mehrjährige sorgfältig angestellte Beobachtungen über den Gesichtsschmerz. Leipzig 1825.

Lalaurie, Beobachtungen eines durch Arsenik geheilten Gesichtsschmerzes s. v. Froriep's Notizen. N. 65.

V. Hildenbrand Franc. Annal. schol. clin. Ticinenses, 1830.

Raimann, Principia Pathologiae ac therapiae specialis medicae. Viennae, 1835.

Vieillard, Diss. utrum in pertinacibus capitis facieique doloribus aliquid prodesse possit sectio nervor. quinti paris? Paris, 1768.

Woskresenski, Diss. anatom. therapeut. de dolore faciei. Moscau, 1817.

Zang, Darstellungen blutiger heilkundiger Operationen. Thl. II.

C. Canstatt, specielle Pathologie und Therapie. III. Band. 2. Lieferung. Erlangen, 1842.

Theses defendendae.

I.

Quo simplicior medendi et operationis instituendae methodus, eo tutior magisque rationalis.

II.

Genesis helminthum ex aucta textus cellulosi vitalitate maxime probabilis.

III.

Quaevis febris ex natura sua debilitat organismum.

IV.

Photophobia nervosa lucis detractione pejor fit.

V.

Hypochondria et Hysteria sunt morbi toto coelo diversi.

VI.

Educatio bona optima vesaniae prophylaxis.

VII.

Oculus animae, lingua ventriculi speculum

VIII.

Manus obstetricantis bene exercitati optimus pelvimeter,

IX.

Amicorum consortium optimum hypochondriacis remedium.

X.

Conceptio cum immuni hymene possibilis.